



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 45. Dux aula profugus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

sonnolentia, torperet, Eboracensis ambitioni sese pro viribus opponere statuit. Sæcul. XV.  
A. C. 1457.

Quocirca cum Henrico recens electo Sommerfeti Duce, necnon cum Buckinghamo itidem Duce, aliisque suis consilia confert, ac plurimos auctoritate ac potentia præcipuos ad suas partes trahere conatur; Hi omnes rem tam religioso silentio tegebant, ut ipse Richardus nihil eorum, quæ gesta fuerant, subodoratus esset, donec in quodam Senatu, cujus membra ab ipsa Regina fuerent selecta, atque ad Granvicensem urbem convocata, Rex declarasset, sibi haud ultra Protectorem fore necessarium, proin Eboraci Ducem regni administrandi sollicitudine eximendum; atque rupta omni mora sigillum majus manibus Regis reddendum esse, ut id illius fidei, quem Rex e subditis suis magis idoneum judicaverit, committeretur.

§. XLV.

*Dux aula profugus.*

Hoc Senatus decreto Dux summo terrore defixus hæsit. Ast temporum injuriæ cedendum ratus, atque imminens capiti suo periculum veritus, una cum Sarisberienfi, & Varvicenfi Comitibus aula excessit. Horum absentia tandem Regis auctoritas revixit; verum  
brevis

Sæcul. XV.  
A.C. 1457.

brevi disparuit supremæ Majestatis splendor; Rex enim non modo Ducem, & utrumque Comitem insequi, ac denique sese a tribus hisce Patriæ hostibus liberare neglexit, sed insuper perinde, ac si illis aula expulsis jam jam sibi, regnoque suo plene consulisset, in pristinam incidit vecordiam, a qua illum nec severa Reginæ consilia, nec amica Ministrorum monita unquam retrahere poterant.

§. XLVI.

*Dissidia de successione in Hungariæ & Bohemiæ regna.*

*Naucler.*  
*vol. 3. gener.*  
*49. p. 481.*

Cum Juvenis Ladislaus Hungariæ, atque Bohemiæ Rex vita functus esset, utrumque hoc Regnum plurimorum contententium ambitionem stimulabat. De Austria diu disceptatum est inter Fridericum Imperatorem, & Albertum IV. fratrem ejus, cognomento *bonum*, & Sigismundum Tyrolensium Comitem horum Patruelem. Ast cum Sigismundus jure suo aut vero aut præsumpto facile cederet, ceteri duo aliquamdiu inter se dimicabant, donec tandem, post varias fortunæ vicissitudines, quarum præcipuas impræsentiarum delibabimus, lis composita esset, concordiæ legibus inter eos Friburgi sancitis.

§. XLVII.